



PAulus ex Israelitarū genere in Germania pro-
gnatus, à parentibus in Hebraicis literis opti-
mē institutus fuit. Cum is adoleuisset, atq; propheta-
tarum mysteria intellexisset, Iudaismum reliquit,
et baptizatus sese ad Christianam religionem con-
uertit. Erat Paulus rerum naturalium peritissimus.
Itaq; Maximilianus Cæsar eum dilexit, atq; suum
Physicum constituit. Scripsit Paulus plurima, atq;
Iudeorum technas & malitiam proposuit. Vt pote
sexcenta & tredecim Mosaicæ sanctionis seu Pen-
tateuchi edicta : cuius prior pars prohibentia, po-
sterior affirmantia præcepta continet. hisce singu-
lis breuis interpretatio subiecta. deinde Philo-
sophica, Prophetica, & Thalmudica pro Christiana ueritate tuenda cum iunio-
ri Hebræorum synagoga disputatiōe, mirabili ingenij acumine in tres tracta-
tus diuisa, sic ad petitionem Maximiliani farraginem ex Iudæorum Thalmud
excerpsit, in Cabalistarum seu allegorizantium doctrinam Isagoge fecit. de
nouem doctrinarum ordinibus, & totius Peripatetici dogmatis nexu com-
pendium scripsit, quo exponuntur uerba Galenij ab initio Artis paruæ, quid
doctrina, quid ordo, quæ ordinis necessitas atq; præstantia, quotplex in do-
ctrina ordo. sic etiam orationem resolutiuam de triplici ordine doctrinæ. Ac